









1699.

1. Fabricius, Jacobus: De phthisi renali calculo vesicae complicata.
2. Flenner, Johann Antonius Theobaldus: De differentia ultimorum voluntatum et constitutionum.
3. Gerlach, Christian Ignatius: De commutatione iudicii petitorii et possessorii.
4. Hedinger, Joh. Reinhardus: De iure circa oppignorationes civitatum.
5. Hertius, Joh. Nicolaus: De servitute tacite constituta.
6. Hertius, Joh. Nicolaus: De uno homine plures sustinente personas.
7. Hertius, Joh. Nicolaus: De electione ex obligatione alternativa rectori rectoria.
8. Hertius, Joh. Nicolaus: De iudiciis personarum juris privati et publici Germanicarum.

- 9<sup>a</sup> Herbin, Fr. Nicolaus: De diplomatis Germaniae  
imperatorum et regum.
- 9<sup>b</sup>: Herbin, Johann Nicolaus: De fide Diplomatum Germaniae  
manualium imperatorum et regum. Accessit appendix totius  
epistolae, ita quo de defensione Diplomatis pro Carolo  
Lindevicensi, Ludovico Pio subscripti, contra H. Caron  
vixi ansuras suscepta, disquisitur
10. Herbin, Joh. Nicolaus: De praescriptione jurium,  
per temporum intervalla renascentium
11. Herbin, Ludovic. Ernestus: De actionibus adjectivis  
qualitatis.
- 12 Von der Meulen, Petrus Rudolphus: De exceptione  
status rei mutati
13. Mollenbecius, Johannes Henricus: De jure rerum Occidentalis  
vixi vulgo duodecim tabularum.

14. Mollenbeckus, Joh. Mauritius: De regimine civitatis  
Glorioso
15. Palmarius, Henr. Richardus: De feudo Franco. Von  
Frey. Leben
16. Schmid, Johann Casparus: De obligatione cedentis  
et verum non bonum onem cedendum.
17. Spener, Christianus Thomasianus: De febris maligna  
phtisi complicata
18. Wicherus, Innocentius: Habitus juris naturalis
19. Wentzell, Joann. Bartholomaeus: De probationibus  
et eorundem speciebus.

*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]*





8. 1699/1 Gg A  
DISSERTATIO INAUG. MEDICA  
De  
PHTHISI RENALI  
CALCULO VESICÆ  
COMPLICATA,

Quam  
AUTORITATE ET DECRETO  
AMPLISSIMÆ ET GRATIOSISSIMÆ  
FACULTATIS MEDICÆ,  
IN  
CELEBERRIMA LUDOVICIANA,  
PRO LICENTIA

*Summos in Arte Medica Honores & Doctoratus  
Privilegia more Majorum rite capessendi.*

MAGNIFICI  
SENATUS ACADEMICI  
*Ventilationi submittit*

JACOBUS FABRICIUS,  
Francoth. Palatinus.

*Ad Diem XXIII. Maij. M DC XCIX. H. L. Q. C.*

GISSÆ HASSORUM.

Typ. JOHAN. REINHARDI VULPII, Acad. Typograph.

8.  
VIRIS  
INTEGRITATE, PRVDENTIA RE-  
RYM QVE VSV SPECTATISSIMIS,

CONSULIBUS  
DNIS } SCABINIS ET  
} SENATORIBUS

ILLUSTRIS CIVITATIS BUTISBACENSIS,

DOMINIS PATRONIS  
FAUTORIBUS ET PROMOTORIBUS  
HONORATISSIMIS,

ob quamplura B. Parenti æquè ac Familiæ no-  
stræ exhibita favoris & amoris  
argumenta,

*Disputationem hanc Inauguralem*

offert & dedicat

JACOB FABRICIUS. A.

PRO-



## PROLEGOMENA.

**N**ON sine causa Petrus Castellus lib. de Optimo Medico Sect. 6. p. m. 38. Si mortuos tractare metuitis, inquit, iam femina, non viri, estis, sine hac scientia manebitis sine Medicinâ. Cum enim viscera nonnulla C. H. in profundis & abscondito sita sint, hinc si affectibus p. n. afficiuntur, adeo sæpe abstrusa illorum Causa est, ut non nisi illi, qui Cor atque Renes in sacris scrutari dicitur, à priori cognita sit; quapropter saluberrimo instituto corpora demortuorum secare solent. Eruditi, ut à posteriori in cognitionem cause deveniant, & posthâc in simili morbo Proximo eò facilius succurrere possint, modò sectionibus hisce non abutantur ad excusandum excusationes in peccatis, ut Helmontius alicubi Professoribus exprobrare videtur. Utilissimam ergò operam suscepit Stephanus Blancardus, qui in Anat. Practica Rationali, seu Variorum Cadaverum morbis denatorum Anatomica Inspectione è diversis Practicis atque Casuistis Sectiones hujusmodi collegit, variasq; morborum Causas ob oculos posuit, ut eò facilius in Praxi easdem & cognoscere & præcidere valeamus; ad cuius imitationem haud absimilem Casum Butisbaci haud ita pridem à me observatum, loco speciminis, ut vocant, Inauguralis hâc vice proponere & Amplissima Facultatis Médica indultu publicè ventilare constitui. Faxit DEVS T. O. T. M. ut omnia in Divini (sui Nominis) gloriam, Proximique commodum cedant feliciter!

## HISTORIA.

**P**uerulus à Parentibus ex parte scorbuticis progenitus, dimidio ætatis anno impleto, variolis primùm infestabatur prægrandibus usque copiosissimis; his vix curatis præter tumorem colli, qui brevî in abscessum abiit, ulcera inter singulos manuum pedumque digitos supervenerunt, quæ utrobique copiosum pus eructârunt: Urina inde excerni cœpit lactea cum maxima difficultate & ardore: Corpusculum sensim extenuabatur, urgente mox calore p. n. mox friguscule, cum sui intensa & debilitate virium: Tandem impleto ferè quinto ætatis anno exspiravit. Institutâ post mortem sectione, præter ulcus in sinistro Rene conspicuum, Ren dexterpenitus exulceratus sordidoq; pure turgidus apparuit: Ureter uterque digiti crassitiem adæquabat, præterea calculus in vesica duarum ferè Unciarum repertus, gryseo colore conspicuus. Quæritur quâ ratione malo huic, si unquam rursus observatum fuerit, obviam eundum sit?

RESO.



# RESOLUTIO.

## §. I.

**E**Xtenuationem Corporis à Pulmo-  
num ulcere profluentem omnium frequentis-  
simam esse, nemo facile inficias ibit, qui Pra-  
cticorum Celebriorum monumenta vel è limi-  
ne salutavit : Inde enim est, quòd illi *φθισος* nomen *καλ-  
ῆξοχῆ* tribui soleat. Interim ab aliarum quoque partium vi-  
tio similem quandoque tabem induci, Observationes Pra-  
cticorum testantur. Ita alii à pleuræ, a) alii à mesenterii, b)  
alii ab hepatis c) ulcere phthisin obortam fuisse norârunt, &  
si Antiquiores consulamus, ipse *Cous Phthisin Renalem* se ob-  
servâsse refert, d) quâ & puerulum hunc laborâsse ex histo-  
riæ relectione patet, eâque non simplici, sed vesicæ calculo  
complicatâ; quem quidem affectum *definimus*, quòd sit ex-  
tenuatio totius cum concretione lapidea, febre, mictu pu-  
rulentò aliisque symptomatibus ab Ulcere Renum provê-  
niens.

## §. II.

Hoc autem affectu Puerulum nostrum laborâsse pro-  
bant 1. *Essentialiter inhærentia* : Contabescencia scil. totius  
corporis, febris, mictus purulentus, dolor ferè continuus

A 3

Ureticæ.

a) Dolæus Encycl. Med. lib. 2. p. 291. b) Gr. Hortlius. Oper. Med.  
T. 2. p. 526. c) Schenck, Obs. Med. l. 3. p. 414. d) Libr. de intern. affect.  
p. 266.

Urethræ, quorum alia Phthisin alia Calculum concomitari solent. 2. Idipsum confirmant *Antecedentia*, Variolæ scil. quas sæpius Ulcera partium internarum æquè ac externarum subsequi Praxis docet, e) Ætas item puerilis, quæ Calculo præ aliis est obnoxia, f) & quæ primò nominanda erat Dispositio scorbutica hæreditaria, quæ ob copiam acidi vitiosi calculo pariter ac ulceri fomitem subministravit. Sicuti & 3. Reliqua *Symptomata* inde *profluentia*, mictio dolorifica, sitis intensa, debilitas &c. symbolum suum addunt, Quò (licet à posteriori) referenda quoque venit *ατροψία*, quâ calculum & ulcera intueri licuit, ut adeòque de duplicato hoc affectu minimè quis dubitare possit.

§. III.

Sicuti autem totum corpusculum quoad omnes ferè partes miserè emaciatum, respectu *φθίσεως*, ita vesica urinaria respectu calculi *pro subjecto affectus* meritò habetur. Primarius autem mali fons & *subjectum causæ* erant Renes, qui ut cætera machinæ hujus microcosmicæ emunctoria vitali purpuræ depurandæ dicati sunt. Antequàm enim sanguis, per arterias emulgentes earumque subtilissimas ramificationes advectus, à venis emulgentibus resorbeatur, in glandulis renalibus, à Malpighio detectis, depurationem subire cogitur, ubi serum salibus imprægnatum per modum filtrationis g) à reliqua massa separatum, per tubulos, quibus singulæ gaudent, excretorios, in annexas his carunculas papillares, indeque in pelvim derivatur, per Ureteres in Vescicam deponendum, debitoque tempore per Urethram excernendum. Quod secretionis negotium cum noctes

atque

e) Vid. Fr. Hofmann, Fundam. Med. Pathol., cap. 3. §. 68, & Dolæus l. c. p. 786. f) Hippocr. Aph., 26, sect. 3. g) Buxbaum Catech. Med. P. 1. quæst. 89.

atque dies continuetur, mirum non est, à fermento acido corruptivo tubulum unum alterumvè corrosus, Renum parenchyma exulceratum, sicquè elabente sensim sero nutritiô materiam calculo generando subministratam fuisse.

§. IV.

*Causa Proxima & Immediata* Phthilicos est exulceratio Renum, facta à  $\Theta$ e acido & austero in M. S. hospitante, ceu *causa mediata*: Ubi paucis notâsse sufficiat, quòd M. S. texturam diversi generis corpuscula ingrediantur, chylosa putra, serosa, sulphurea, terrestria,  $\Theta$ ina, & ut paucis multa complectar τὰ μυσία Hippocratis, quæ tamen in statu s. n. debent esse proportionata, cum uno vel altero excedente in temperies statim observari soleat. *h*) Licet itaque in statu naturali  $\Theta$ acidum in M. S. contineatur, quod experimentis probat Hofmannus *i*) quantitas ejus tamen hîc in tantum fuit adaucta, ut spicula à particulis globulosis non amplius involvi potuerint, unde est, quòd tubulos renum facillimè dilaceraverint. Calculi autem genesis quod attinet, causa proxima ejus est defectus particularum  $\Theta$ ino volatiliùm oleosarum, balsamicarum, & hunc consequens materiæ viscidæ in substantiam duriozem concretio, *k*) quæ nihil aliud est, quàm materia renum purulenta, quæ unà cum acido vitioso mediatam causam constituit,

§. V.

Quâ ratione autem *Symptomata* in Casu recensita ab acido hoc profluant, facillimum est explicare. Primis sc. mensibus fermentum acidum citra incommodum hæsit in M. S. ob arctissimum connubium cum reliquis sanguinis particu-

*h*) Hofmann, Fund. Med. Physiol. cap. 3. *i*) Dissert. de acid & viscid, Cap. 6. p. 25. *k*) Waldschmid, Instit. Med, Rat, lib. 2, c. 12, p. 87.



particulis *l*) quamprimùm autem corpuscula acida à reliqua  
massa fuerunt separata, lancinando partes nervosas Spiritus  
in varias ataxias concitarunt, qui furore quasi perciti partes  
heterogeneas undarum instar ad corporis peripheriam, cœu  
maris microcosmici littora, exterminare conati fuerunt, *m*)  
ubi poros minus congruos nactæ sub cuticula hætere cogebantur,  
& sic exanthematum causa exstiterunt. Quâ ratione, utur insignem  
copiam evacuatam fuisse extra omne dubium sit, maximam tamen  
quantitatem remansisse, ex subsequen- tibus facile colligi potest;  
hæ ipsæ enim sunt, quæ colli tumorem excitârunt, vasa ejus  
spiculis (uis rigidioribus *n*) vellicando, quæ dum in gyrum tor-  
quebantur, humoribus circulantibus viam præcludebant, unde  
his stagnantibus, aliis autem à tergo sequentibus vasa extendebantur,  
sicque quantitas aucta videbatur. Acrimoniâ inde majore per diuturniorem  
moram contractâ humores dilaceratis vasculis substantiam musculo-  
sam excoriârunt, emunctoque nutrimento proprio puri generando ansam  
dederunt, & ab hac quoque causa reliqua ulcera derivanda veniunt,  
inter manuum pedumque digitos, ob copiosiores glandulas ibi  
dispersas & materiæ peccanti magis expositas, cum primis conspicua.  
Reliqua inde portio circulationis lege cum sanguine ad Renes delata  
tenerioribus tubulis ex parte corrosis ipsum parenchyma exulceravit,  
succo nutritio, per poros destructos, elabente & unâ cum acido in pus  
album abeunte, eodem penitus modo, ac Olivarum oleum cum aceto  
conquassatum album evadit, quo simili utitur laudatus Hofmannus. *o*)  
Huic autem materiæ purulentæ, sicuti calculus ortum debet, ita & reliqua  
symptomata adscribenda sunt. Dum enim portio ejus cum

*l*) Fr. Hofm. F. M. Pathol. Cap. 3, §. 72. *m*) Id. l. c. §. 66. *n*)  
Waldschm. Inst. Med. Rat. L. 1, Cap. 2, §. 17. *o*) Patholog. Cap. 7, §. 39.



cum sanguine , per venas emulgentes redeunte , M. S. fuit communicata , mixtura ejus turbata sicq; febris induc̃ta fuit. Vasculis sc. capillaribus visciditate nimia obstructis , sicque spirituum animalium influxu denegato , non potuit non frigusculum perſentiri , redeunte tamen mox calore , quia æther , transitu , ob stagnantem sanguinem , denegato , per spaciola vacua movebatur , ut globulosas sanguinis moleculas , quæ deficiente motu inter se coiverant , disjungeret , cujus poros perumpens particulas insensibiles exagitabat , à quarum vario & inordinato motu Calor p. n. dependebat. p) Durante autem hoc motu febrili cibi in laudabile nutrimentum non poterant converti , quin serum in sanguine resistans partim ex Renibus emungebatur , partim ab admixto miasmate purulento inquinatum partibus nutriendis ineptum reddebatur , unde Contabescencia totius ortum duxit , juncta cum Debilitate , ob maximam spirituum deperditionem. Reliqua portio ad Vesicam delata cervicem obsidendo transitum seroso latici denegabat , quâ ratione , dum illa justo nimis extendebatur , orificia inſimul Ureterum , inter utramque ejus membranam decurrentia comprimebantur , ut adedque mirum non sit , & horum quantitatem à sero copiosius collecto in tantum adauctam fuisse. Ruptis tandem repagulis unâ cum sero exterminabatur , ubi Urethram jamdum leviter excoriatam transiens acrimoniâ suâ & asperitate sensationem dolorificam excitabat , quin & ipsam urinam lacteo colore imbuens , post aliqualem moram naturali gravitate fundum petendo sedimentum constituēbat. Cùmque ob dispositionem scorbuticam M. S. à particulis balsamicis fuerit depauperata , probabile admodum est , ab exsuperante acido austero hanc ipsam in Vesica coagulata in lapideam substantiam concre-

B

concre-

p) Excell. D. Valentini Physic. Gissen. P. Gen. Cap. 5. §. 7.

concrevisse, successuque temporis agglutinatione aliarum  
molecularum in tantam molem abiisse, quæ continuâ com-  
pressionē & vellicatione Urethræ tantos dolores excita-  
vit, qui quidem à copiosiore potu assumpto tantisper immi-  
nuebantur, quòd sero copiosius affluente, Calculus eleva-  
batur, sicque in Vesicæ Cavitate fluctuans fibrillas mem-  
branarum minus attingebat: Accedit, quòd hâc ratione  
Oia peccantia magis diluta & spicula eorum magis occultata  
fuerint. Copiosiore autem potum hauriebat puerulus,  
continuâ siti pressus, partim ob defectum seri, salivæ genera-  
dæ dicati, quo per æstum febrilem assumpto faucium mem-  
branæ interiores non legitimè potuerunt humectari, partim  
ob maximam salivæ, à corrupto miasmate inquinatæ, acri-  
moniam, quâ fauces lancinando molestissimam illam sensa-  
tionem produxit.

§. VI.

Quibus omnibus *ex Causis Remotioribus* occasionem  
dederunt *Ætas puerilis & Dispositio scorbutica hæreditaria*,  
*Ætas* enim hæc sicuti ob teneriorem partium structuram Ex-  
ulcerationi & hinc obortæ Phthisi præ alijs videtur obnoxia,  
utpote in qua fibræ non adedò robustæ sunt, ut materiæ peccā-  
tis impetum perferre valeant, ita ob ἀδύναμιαν calculi gene-  
rationem promovit, quatenus Cibis non legitimè subactis  
particulæ Chyli balsamicæ oleosæ non fuerunt extraversæ,  
quæ aliàs acidi spicula obtundendo, generationem ejus in-  
pedite potuissent. Eâdem ratione plurimum hûc fecit Di-  
spositio scorbutica, quæ Embryoni, adhuc in Uteri claustris  
hærenti, à matre communicata fuit, cum fermentum illud  
peccans cum nutrimento, per Umbilicalem venam advecto  
æquè ac post partum cum lacte exhibitum M. S. simili cha-  
ractere

rañtere notaverit, unde brevi post tot Symptomatum gravissimorum syndrome oborta fuit. Quammaximè verò è Rebus Præternaturalibus morbo huic ansam dedisse videntur ruderæ quædam à Variolis relicta, quæ non tantùm abscessum in collo, ut & ulcera intra manuum pedumque digitos produxerunt, sed & Renes exulcerare potuerunt; ad quæ præcavenda Laxantia aliaque sanguinem depurantia Curæ Variolarum subjungenda esse, sæpissimè in Collegiis suis inculcasse novi Excellentissimum D. D. Valentini p. t. Facult. Med. Decanum, Præceptorem meum ac Patronum omni honoris cultu suspiciendum.

§. VII.

Oportandum autem fuisset in *Prognosi*, ut juxta illud Nasonis: Principiis obsta, Medicamentorum convenientium usu visceribus affectis statim prospectum fuisset, ita enim soluta Unitas consolidari, calculi generatio impediri, verbo, malum in herba supprimi potuisset; quod cum, morbo ob profundiorè affectam partem situm minus se prodente, fuerit intermissum, mirum non est, quòd radices sensim agendo immedicabile tandem evaserit, sicque tot medicamentorum adhibitorum vim eluserit. Perfectam enim Curam ejusmodi Renum ulcera confirmata haud admittere, non sine ratione asserit Br. Seidelius, q) ex eo, quia remedia ob remotiorem situm integras vires in affectam partem exerere non valent, unde frequentissimè calculosos vitam phthisicè finivisse, observavit Mortonus Anglus r) Accedit, quòd nequè suffitus neque Injectiones abstergentes aliavè externè adhibita eò pervenire queant. Ut fateam, à continua feri acrioris evellitione malum indies exasperari. s) Ita nec Calculus grandior

B 2

q) Tract. de morb. incurab. p. m. 24. r) Phthisiolog. Lib. 3. Cap. 6. p. 103. s) Fernel. Ambian. Pathol. L. 6. fol. 143. & seq.

dior factus filiceamque duritiem adeptus, teste Celeb. Ludovico 1) medicamentis cedit, sed sectionem requirit, quæ tamen, sicut in se periculosa, hîc ob debilitatem virium institui non potuisset, imò si vel ex voto successisset Operatio, è materia morbosa tamen indies affluente alius facile procreatus fuisset.

§. VIII.

Proinde, si ullibi sanè hîc, maturanda fuisset *Cura*, quæ his potissimum nititur Indicationibus, ut sc. 1. Causæ externæ removeantur. 2. Dispositio scorbutica corrigatur. 3. Materix Renum purulentæ æquè ac calculo via pareatur. 4. Noxa renibus illata emendetur, & denique 5. Symptomatum ratio habeatur,

§. IX.

*Primum* sit imperando legitimam Diætam, quæ in decenti Rerum 6. Non Naturalium regimine consistit. Ex harû autem censu primas quidem tenet Aër, qui eligatur temperatus, purus, inquinamentis morbidis haud infectus. Nec reliquæ tamen hîc negligendæ sunt, & imprimis in cibo & potu assumendo Temperantia commendanda venit; copiosius enim & inordinatè si ingeratur cibus, fermentum stomachale obruitur, quod dum assumpta minus digerere valet, cruditates cumulantur, quæ plurimis Symptomatibus fores pandunt. Ita qualitatibus intuitu Cibi sint *εὐχρημοί* & *εὐπενστοί*; nocent autem falsi & acidi, utpote qui M. S. acriorem reddendo ignem igni addunt. Potus sit Decoctum hordei, cum liquiritia, pasfulis similibusque paratum. In motu & quiete fervetur mediocritas; sicuti enim per commotiones vehementiores post passum imprimis institutas u) chylus crudior ad Renes præcipitatur,

1) Pharmac. moderno seculi, applic. Diss. t. p. m. 198. u) Vid. Exc. D. Valent, Medic. Nov. Antiq. Part. 6, Cap. 4. p. 209.

cipitatur, sicque commoda calculo materia subministratur, ita per otium nimium transpiratio insensibilis, quâ oia peccantia eliminari debebant, sufflaminatur, & humores ad stagnationem disponuntur. x) Idem tenendum de somno & vigiliis, quæ utrobique sint moderata. Consuetarum etiam evacuationum ratio habeatur, imprimis alvus seruetur lubrica, cum scybala in intestino recto hærentia calculum in Vesica commovere valeant; cujus intuitu & affectus animi vehementiores fugiantur,

§. X.

Ad secundam Indicationem absolvendam faciunt primò Laxantia, quâcunque formâ adhibita; licet enim Purgantia in Phthisi nociua esse judicet Waldschmidius, y) illud tamen de fortioribus & drasticis, ipsam M. S. colliquantibus, intelligendum est, quæ in affectu hoc, cum primis confirmato, nocerent. Porius ergò commendari hîc merentur Lenientia, fomitem morbosum è primis viis evacuantia, qualia sunt Sennata, in specie decantata illa aqua laxativ. Mannagettæ, cui manna, syrupus Rosar. solut. mechoacanna & similia commodè misceri possunt. Quibus deinde Diaphoretica quandoque subjungenda sunt, volatilia pariter ac fixa, utpote quæ partim acidum p. n. absorbent & ut vulgò loquuntur præcipitant, partim per cutis poros eliminant, v. gr.

℞ Pulv. bezoard, Lud. ℥℥.

℥ diaph. Dj.

Cin. ℥ ℥℥.

Ⓞ vol. C. C.

viperar. ā. gr. iij. M. D. S.

Verfüßend Pulverchen des Tags drey-mahl eine Messer  
spißvoll zunehmen.

B 3

℞ ∇

x) Waldschm. Inst. Medic. Rat. L. 2. Cap. 8. & J. Zach, Furst. Diag. Hygiast. C. 6. p. 119; y) Institut. L. 5. Cap. 12. §. 5.

℞. ▽ Fumar. Zi.  
ex lignis Zi.

Tinct. ℥ ii ʒj.

Spir. ☉ \* c. ℥j.

Syr. contrayerv. ʒvj. M. D. 3. Abends im  
Schlaffen gehen einen Löffelvoll zu geben.

§. XI.

*Tertia* satisfaciunt Diuretica leniora virtute emolliente vias urinarias amplianda; ubi commendari meretur decoctum contra calculum Foresti, quo per biduum usurpato in Illustri quadam Persona calculum, qui in dextro rene hæserat & phascolum referebat, absque ullo dolore excretum fuisse memini. Profunt & omnia ex alkekengi baccis parata, ut & terebinthinata, v. g. ipsa Terebinthina Veneta cum Vitello Ovi soluta, & in brodio exhibita, vel Emulsio inde parata; in specie vero spiritus terebinthinæ super sacch. Saturn. digestus, qui præterquam quod gratâ rubedine se commendet, quam hæc ratione Elsholtzio teste z.) acquirit, insimul respectu febris magis redditur specificus, cujus intuitu Phthificos sub imperio Saturni esse censet Paracelsus.

a) Externè autem simul usurpentur Balnea & Infessus, ex emollientibus, vel etiam simplicissimè ex polenta & stramine avenæ parata, ad imitationem Sim. Pauli b) exhibendo ante horum ingressum Oleum amygdalar. d. vel solum, vel cum syrupo de althæa Fernelii anaticâ portione cum tantillo sacchari mixtum. Horum loco etiam oleum scorpionum cum fructu adhibetur, vel & Epithema aliquod applicatur. v. g.

℞. Cortic.

z1 Destillator. Curios. Cap. .2 p. 6. a) Oper. Tom. 1. p. 554. Edit. Argentin. in Fol. b) Quadriparr. Botan. p. 214.

℞ Cortic. cepar. M. j.

Flor. chamom.

verbasc.

genist. ana. P. ij.

Sem. lini ℥iij.

apii ℥ij. D. S.

Sachen in einem  
Säcklein in Wein zu kochen und warm überzulegen.

His nil proficientibus ad fortiora transeundum, pellentia  
sc. ubi egregie se habet Tinctura Tartari, cum primis si Sale  
volatili infectorum fuerit acuata, quæ ita præscribi potest.

℞ Tinctur. Tartari ℥ij.

Milleped. præp. ℥i. Stent in infusione per 24.

horas Colat. D. S. Eröffnende Tinctur Morgens und  
Nachmittags 6 Tropffen einzugeben.

vel si potiuncula magis arideat,

℞. Aq. fragor.

alkekeng. an. ℥j.

Spirit. aperit. Penot. ℥j.

Ocul. cancr. alcolis. ℥i.

Syr. capillor. q. ℥i.

M. S. Wasserchen Löffelweis zu gebrauchen.

§. XII.

Pro quarto scopo conveniunt omnia balsamica, vul-  
neraria, unitatem solutam consolidantia, ubi in specie  
Balsamus Locatelli, quantitate avellanæ sæpius in jusculo  
exhibitus, egregius est, item Bals. de Copaiva, qui com-  
modissimè in forma Balsamo-Sacchari exhibetur, & ita  
præscribi potest.

℞. Balsam. de Copairv. ℥j.

Sacch. Canariens. q. s. F. pulv.

D. S. Heylender Zucker davon offte eine Messer Spitz  
voll zunehmen. &, quæ

&, quæ primò nominanda erant, Decocta vulneraria, quorum descriptiones videantur hinc inde apud Auctores. Simplicissimum, utur non temendarum virium, paratur ex petroselino c) vel hedera terrestri, in cuius singulo haustu gutta una vel altera Balsami Sulphuris terebinthinati exhiberi potest. Horum tamen vicem Lac vaccinum, in quo Radices mucilaginosæ & vulnerariæ v. gr. liquiritiæ, consolidæ, althææ, similesvè decoctæ fuerint ad imitationem Plateri d) saccharo edulcoratum sæpius haustum supplere potest.

§. XIII.

Tandem ut ultimæ quoque Indicationi satisfiat, ad Dycuriam leniendam profunt omnia mucilaginosæ & balsamica, inprimis Emulsiones ex Seminibus frigidis paratæ v. gr.

*Rx. Sem. 4. frigid. maj. ā. ʒj.*

*papav. alb. ʒij. C. S. q̄.*

▽ *violar. f. Emulsio add. ocul. caner.*

*prap. ʒi. Edulc. c. julep. Rosar. q. f. D. S. Stillende*

*Milch zuweilen ein paar Löffel voll zu nehmen.*

Externè Injectiones fiant in Urethram ex lacte dulci, in quo Rad. alth. & liquir. decoctæ fuerunt, addendo simul quid Terebinthinæ, formulæ variæ videantur apud Practicos. Quòd si dolor quidam Nephriticus (quem infantuli non semper exprimere possunt) conjunctus fuerit, ad hunc demulcendum varia hinc inde commendari videas, præ cæteris tamen laudari meretur seq pulv.

*Rx. Ocul.*

c) Jonston Idea Medic. Pract. L. 10. Tit. 2. C. 1. d) Obsery. L. 3. p. 317.



℞. *Ocul. cancr.* ℥j.

*Cin. nativ. prap.* ℥l.

*Pulv. anod. Lud.* gr. vj.

*M. D. pro 3. Dosisibus.*

Cui, si poriuncula magis expectatur, hæc substitui potest:

℞.  $\nabla$ . *fragor.*

*ononid.* ℥. ℥j.

*Troch. alkekeng.* ℥j.

*Theriac. Cæl.* gr. ij.

*Syr. de alth.* ℥. ℥l.

**M. S. Stillendes Träncklein zuweilen einen Löffelvoll zu nehmen.**

& si alvus justo contumacior sit, externè simul Clyster infundatur, ex lacte dulci cum butyro non salito paratus, vel terebinthinatus v. gr.

℞. *Decoct. emoll. vel lact.* ℥ij. l. iij.

*Terebinth. c. vitell. Ovi sol.* ℥l.

*Sacch. Thom.* ℥c. M.

Extenuationi succurrimus per Diætam Lacteam, quæ præmissis præmittendis hîc egregia est; ad præcavendam autem lactis coagulationem tantillum sacchari vel mellis addatur. e) Jungantur tamen insimul specifica antihectica v. gr.

℞. *Antihæct. Poter.* ℥j.

*Spec. diatrag.* ℥r. ℥l.

*Sacch. H.* gr. vi.

*Canariens.* ℥j. **M. S. Sonderlich Pulver**

**Morgens und Abends ein Messer Spiz in der Milch zu nehmen.**

Et hæc in morbo incipiente sufficere potuissent. In malo autem desperato quidam Nevrotomiam instituendam esse suadent, ut scil. parti primariò affectæ Remedia facilius applicari

C

e) Exc. D. Valent. Medic. Nov. Antiq. Part. 6. p. 195, & Dolæus Encyclop. Med. L. 2. p. 311.

plicari possint; imò sunt, qui cauterio actuali, in substantiam Renum adacto, apostemata Renum in pluribus felicissimè curata fuisse asserunt. Verùm cum Operationes hæ sint periculosissimæ, & Medici fama facilè inde lædi possit, ab iisdem abstinendum & potius Symptomatibus, quantum fieri potest, succurrendum suademus, quod quâ ratione fieri debeat, ex prioribus aliquomodo patet; plura ergò qui desiderat adeat Practicos, & in specie ante laudatum Mortuum in Phthisiologia exaiciatissima & in Praxi utilisima. Hæc pro scopo nostro sufficiant. Deo pro concessa hæcenus gratia sit Laus Honor & Gloria in sempiterna secula.

## COROLLARIA.

I.

**I**N Inspectionibus Cadaverum ex vulnere demortuorum sectio totius requiritur, licet occisus subito corruerit & exspiraverit. Vid. Constit. Crim. Carol. V. art. 149.

II.

Nec in infanticidio sufficit stigmata externa inspicere, sed pariter sectio instituenda, quam qui negligunt, gravissimè errare videntur.

III.

III.

*Certum Impregnationis signum ex Urina haberi posse nego.*

IV.

*Extracta è Residuo aquarum destillatarum parata aquè bona, ac quæ ex herbis recentibus fiunt, esse, Ratio docet & experientia.*

V.

*Extracta cum Vino parata plus sapè nocere quàm prodesse solent, cum vinum stigma acidissimum relinquat.*

VI.

*Lues Gallica, utut perfectissimè curata videatur, rudera tamen aliqua ut plurimum relinquit, nam*

*Quo semel est imbuta recens servabit &c.*

VII.

*Canis rabidus haud ita pridem Heri sui pedes lambit, qui an hoc sibi nociturum sit ex Medico querit? Mihi quid videatur dicam in conspectu.*

C 2

VIII.

VIII.

*Licet V. S. in Pleuritide benigna saepius sit profi-  
cua, eandem tamen in maligna admodum  
nocere ex novellis ordinariis Parisiensibus  
nuperrimè innotuit, quæ omnes illos, in  
quibus V. S. heïc administrata fuit, interi-  
sse affirmabant.*

IX.

*Chirurgia Transfusoria, quâ sanguis hominis  
sani aut bruti in Venas alterius transfun-  
ditur, hodiè quidem exolevit, interim,  
præterquàm quòd Circulationem sangui-  
nis demonstrat, in nimis quoque vulnerum  
hemorrhagiis insignem adhuc usum præ-  
bet.*


F I N I S.



(X2617999)

1017





B.I.G.

Farbkarte #13

1699/1 Cg A  
NAUG. MEDICA

RENALI  
VESICÆ  
ICATA,

ET DECRETO  
GRATIOSISSIMÆ  
IS MEDICÆ,  
LUDOVICIANA,  
CENTIA

*a Honores & Doctoratus  
ajorum rite capeffendi.*

NIFICI  
ACADEMICI  
ni submittit

FABRICIUS,  
Palatinus.

DC XCIX. H. L. Q. C.

ASSORUM.  
DI VULPII, Acad. Typograph.

